



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De infestationibus Elizabeth sanctimonialis à daemone, cap. 45.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

dit. Volens Dominus sponsæ suæ secretæ delitiarum suarum ostendere, bene eam priùs permisit aliquibus vinonibus horrendis tentari, ut postmodum amplius mereretur lœticari, sciretque distantiam inter dulce & amarum, lucem & tenebras.

CAPVT XLV.

IN eodē monasterio, quod Houene vocatur, sanctimonialis quædam est Elizabeth nomine, quā sāpe diabolus infestat. Die quadam in dormitorio illum videns, & quia ipse esset non ignorans, alapā illi dedit; cui cūm diceret: *Vt quid tam durè me cedis?* respondit illa; quia sāpe me turbas. Ad quod diabolus: *Multo amplius hesterna die turbauī fororem tuā Cantr̄ cem, non tamen me percussit.* Satis quidem illa die turbata fuerat. Ex quo colligitur, quōd ira, rācor, impatientia, & alia huiusmodi vitia, sāpe ex immisione sīnt diaboli. Alia vice cūm eadem Elizabeth matutinis nimis tardatis, opere, vt pōst apparuit, diaboli, ad campanam festinaret, candelāmque ardente in manu portaret, iam intratura fores oratorij, dēmonem in specie viri, tunica indutum cultellata contra se stare consperxit. Putans aliquem intrasē virorum, territa retrorsum per gradus dormitorij cecidit, ita vt per aliquot dies tam ex repentino terrore quam ex lapsu langueret. Nam & Abbatissa ex eodem casu stupefacta, infirmitatem concepit, quæ dum causam illius lapsus atque clamoris ab ea sciscitata fuisset, & illavisione exposuisset, adjecit: *Si sciuisseim quōd fuisset diabolus, & non homo, bonam illi alapā dedisseim.* Iam enim accinxerat fortitudine lumbos suos, & contra diabolum roborauerat brachium suum.

CAPVT XLVI.

Alteri cuidam feminæ, propter Christum inclusæ, ita infestus fuit diabolus, vt etiam lectum illius violenter & impudenter ascenderet, a quo cūm nullo posset remedio spirituali liberari, non oratione, non confessione, non signo crucis, diaboli importunitatem propriamque vexationem cuidam viro religioso conquesta est. Cui ille tale consilium dedit: